

huius precellentissimi Karoli regis petitionem et auctoritatem nostra apostolica auctoritate roborantes atque privilegio, uti in predictorum regum suorumque successorum continentur preceptis exinde factis, omnia rata et inconcussa perpetua lege permanere statuimus. Constituimus autem auctoritate beati Petri et domni Pauli, quorum honore prefatum sacratur coenobium, ut nullus regum, nemo praesulum¹⁾ vel abbatum, seu quilibet quacunque predictus dignitate, de his quę in prefato privilegio, seu in preceptis ipsius filii nostri Karoli et aliorum regum ex his quę premisimus factis continentur, vel in futuro ab eo vel a quibuslibet aliis de proprio his specialibus fuerint ablata²⁾, sub cuiuslibet causę occasione sive specie quicquam minuere vel auferre ac commutare, sive ad alium locum concedere vel quippiam temerarie agere, sed cuncta quę prefatis usibus servorum Dei et ecclesie ornamentorum vel luminariorum sive matriculariorum, hospitum et pauperum oblata sunt vel offerri contigerit, perenni iure illibata permaneant. Ordinamus etiam atque statuimus, ut tam vos quam omnes qui in eo quo estis ordine locoque successerint, huius sanctissimę Romanę sedis habeatis iugiter reclamationem, sub tuitione et gubernatione cunctorum regum Francorum per nostram preceptionem degentes et quiete viventes, nec ipsi reges nec eorum successores cuiquam suorum laicorum sive clericorum, tametsi reverendę personę, prefatum ad regendum praesumant committere, nisi pro ipsius loci arbitrio atque electione sibi competente, salva in omnibus quę huius decreti pagina continentur, auctoritate et honore sanctę Romanę ecclesię et sedis apostolicę privilegio. Si quis autem temerario ausu, magna parvave persona, contra hoc nostrum decretum apostolicum agere presumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatum et a regno Dei alienum, cum omnibus impiis aeterno incendii supplicio condemnandum. At vero qui observator extiterit precepti huius, gratiam et misericordiam vitamque aeternam a misericordissimo domino Deo nostro consequi merebitur.

Scriptum per manus Simphronii³⁾ notarii regionarii scriuarii⁴⁾ sanctę Romanę ecclesię. Et corroboratum atque subnixum auctoritate apostolica Nicolai suggerente Fulrado inclito abbate, uti fuerat olim petente domno Amando temporibus Martini papę. Acta⁵⁾ anno primo, quarta Kal. April., regnante Karolo invictissimo imperatore, presentata per Tiberium sanctę Romanę ecclesię⁶⁾ [archicancellarium].

Indictione Undecima.

Darauf folgt das Privileg Otto's I. von 966 für St. Pantaleon (Stumpf 401), aus dieser Hs. von Birlinger im Anz. d.

1) Hier ausgeschrieben, sonst abgekürzt. 2) abbatum L.; leg.: oblata. 3) manum Stephani L. 4) scrinionarii Hs. 5) Datum L. 6) Darüber steht in der Handschrift ein durchstrichenenes r (require) und das folgende Wort fehlt.